

DE LATITUDINE VENERIS ET ♃.

Uero eandem partem tabulæ, ubi iam minu. & secund. proportionalia accepisti, ingredere, & quod in angulo communi signorum & graduum argumenti, de gradibus & minutis latitudinis declinationis inueneris extra nota cum parte latitudinis meridionali aut septentrionali, secundum exigentiam tituli. Deinde accipe partem proportionalem de latitudine declinationis & minu. & secund. si qua fi. erint secundum proportionem minorum & secundorum ad 60 per modum multiplicationis & diuisionis supra traditum, & hæc erit prima latitudo Veneris uel Mercurij examinata, quæ prouenit ex declinatione epicicli, eam serua cum parte suæ latitudinis. Pro inueniendâ reflexione, intra tabulam secundam latitudinis reflexionis cum centro æquato, & mi. per ipsum reperta extra scribe. Deinde cum argumento uero intra eandem tabulæ partem, ubi iam accepisti mi. proportionalia, & latitudinem reflexionis inuentam cum titulo partis extra notabis, de qua & mi. proportionalibus accipe partem proportionalem secundum proportionem minorum ad 60. & emergit latitudo reflexionis examinata, quæ prouenit ex reflexione epicicli, quam cum titulo suo etiam ad partem serua. Pro deuiatione autem inueniendâ intra tabulam tertiam, cum minutis proportionalibus per secundam tabulam reperitis, & quod in directo eorum inueneris, extra scribe, & erit latitudo tertia examinata, quæ in Venere semper est septentrionalis, in Mercurio uero semper est meridionalis, & ista accidit ex deuiatione deferentis ab ecliptica. Finaliter autem, si tres repertæ latitudines fuerint eiusdem tituli, omnes addantur, & aggregatum, erit latitudo quæ sita. Si uero fuerint diuersarum denominationum, iunge illas quæ sunt eiusdem appellationis, quo facto, subtrahere minorem de maiore, & residuum censebitur latitudinem ultimo examinatatam, illius tamen semper denominationis, cuius maior latitudo erat de qua hoc residuatur. Exemplo autem præsentî clare introduceris.

Argumentum Veneris medium ad tempus prius datum cum reliquis motibus est.

Argumentum medium	4	26	20	14
Centrum medium	9	21	16	22
Aequatio centri æquata	A	1	59	44
Centrum uerum	4	23	16	6
Argumentum uerum	9	24	20	30

Ex tabula itaq; prima per centrum uerum inuenio min. 55 secund. 0 proportionalia, & per argumentum uerum ex eadem tabula primo accipio latitudinem 2 gra. 23 mi. cum titulo declinatio septentrionalis, de qua & minutis cū secundis proportionalibus colligo partem proportionalem 2. gra. 11 mi. 5 secund. cum titulo septentrionalis, hæc est latitudo declinationis epicicli, quam seruo ad partem. Item cum eodem centro intro tabulam secundam, & reperio 23 min. proportionalia, & cum argumento reperio 2 grad. 28 min. cum titulo reflexio septentrionalis, de qua & mi. proportionalibus, quero partem proportionalem, & colligo 56 min. 44 secund. cum titulo septentrionalis, quæ est latitudo reflexionis epicicli.

Tandem cum 23 mi. proportionalibus ex secunda tabula reperitis, intro tabulam tertiam, & inuenio 3 mi. 50 secund. latitudinem septentrionalem deuiationis deferentis ab ecliptica, sed quia tres hæc latitudines, omnes sunt septentrionales, quare addo eas in simul, & colligo 3 gra. 11. mi. 39 secund. latitudinem Veneris septentrionalem optime extractam ad tempus propositum.

De